

num sexagesimum octavum, quo anno ei successit *Joannes*, qui, postquam sedisset annos quinque, menses novem juxta Nicephorum in Chronico, obiit anno dclxxiv. Utrumque Patriarcham *Thomam*, & *Joannem* Orthodoxos fuisse, liquet ex Actis sextæ Synodi. At Baronius Acta sextæ Synodi Generalis depravata esse existimans, sibi perperam persuasit, utrumque Patriarcham in Actis sextæ Synodi Catholicum male prædicari. Hæc Eminentissimi Annalium Parentis hac in re allucinatio magis patebit ex his, quæ in quarto Colloquio dicturus sum, ubi ostendam, Acta sextæ Synodi Generalis esse indubitata fidei, eaque nunquam fuisse interpolata. Joanni Patriarchæ Constantinopolitano Orthodoxo mortuo anno dclxxiv, successit *Constantinus* Patriarcha etiam Catholicus, qui ut Nicephorus in Chronico docet, sedit anno uno, mensibus octo, diebus septem, & obiit an. dclxxvi. Ei in throno Constantinopolitano successit *Theodorus* Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syn-cellus, & Vidorum custos, sed pessimus Hæreticus Monothelita, qui post duos annos, hoc est, anno dclxxviii, e Sede Constantinopolitana ab Imperatore *Constantino Pogonato* dejectus est (a), & in ejus locum subrogatus *Georgius*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit usque ad annum dclxxxiii. quo anno mortuus est, & *Theodorus* antehac depositus in Sedem Constantinopolitanam restitutus est, seditque post suam restitutionem, ut scribit *Theophanes*, annos tres, & pervenit usque ad annum dclxxxvi. In *Theodori* locum electus est Patriarcha Constantinopolitanus *Paulus* Laicus, & Imperatori a secretis, cui *Theophanes* septem annos tribuit, quod etiam in Tabulis ejus Chronico insertis legitur. Quapropter obiit anno dxciii. præfuit hic Patriarcha Synodo Trullanæ, quæ dicitur *Quinifexta* celebrata anno dxcii. Post mortem *Pauli*, Sedi Constantinopolitanæ præfatus est *Callinicus*, qui, ut legitur tam in Chronico *Nicephori*, quam in Chronico *Theophanis*, sedit annos xii. hoc est, ab anno dxciiii. usque ad annum dcccv. quo anno a *Justiniano* in Imperium restituito oculis orbarus *Callinicus* Romam in exilium missus est, eo quod adhaesisset *Leontio*, qui *Justinianum* Imperatorem e solio dejecerat, & *Chersonam* relegaverat. Amoto *Callinico*, Sedem Constantinopolitanam obrinuit *Cyrus*, qui sedit annos sex, idest, ab anno dcccv. usque ad annum dcccxi. quo anno ab Imperatore *Philippico* e Patriarchatu Constantinopolitano dejectus ad suum Monasterium redire compulsus est. *Cyrum* in throno Constantinopolitano excepit *Joannes*, quem alii cum *Baronio* Monothelitarum antesignanum appellant, alii vero, cum *Combesisso* in Historia Monothelitarum, & *Pagio* in Critica *Baronii* eum a Monothelitarum Hæresi vindicant. Sedit *Joannes* annos tres, & mortuus est ann. dcccv. eodem anno Sanctus *Germanus* Cyzici antea Episcopus ad thronum Constantinopolitanum evectus est. Synodum Constantinopoli coegit contra Monothelitas. Sacrarum Imaginum cultus fuit acerrimus propugnator. Unde *Theophanes*, & alii

Historiæ Bizantinæ Scriptores, Græcorumque *Menza* narrant, hunc eximium Patriarcham, cum *Leonis* Imperatoris sacrarum imaginum everforis pertinaciam frangere haud posset, depositus in Altari superhumerali, idest, Pallio, Episcopatu sponte cessisse, atque in Monasterium se recepisse. Rem tamen aliter narrat *S. Damascenus* in *Oratione secunda de Imaginibus*, ubi aperte inquit, *S. Germanum* non sponte cessisse Episcopatu, sed a *Leone* Imperatore Sede pulsum, & in exilium missum fuisse. Sic enim loquitur *S. Damascenus* juxta versionem doctissimi nostri *Lequien*: *Nunc quoque B. Germanus tum vita, tum dicendi gratia resplendens, plagis affectus exulat, cum pluribus aliis Episcopis, quorum nomina ignota nobis sunt: non ne hoc predicatorum est? Sancto Damasceno* favet *Scriptor Vitæ Sancti Stephani junioris Martyris*, ubi testatur *S. Germanum* a *Leonis* Imperatoris Satellitibus pugnari, & conviciis throno fuisse deturbatum. Huic auctori jungunt eruditi *Bollandi* continuatores *Constantinum Pium* in Paphlagonia Episcopum, qui inventionis reliquiarum *S. Euphemie* Historiam texens, de *S. Germano* ait: *Quamobrem Sanctissimum Patrem nostrum vita, & sermone confusantem, Sede ejecit. Sede itaque dejecto, & in exilium ablegato S. Germano Episcopo Constantinopolitano, Leo Imperator hominem suæ sectæ, Anastasium videlicet Hæreticum Iconoclastam in Sedem Constantinopolitanam intravit anno in eunte dcccxxx. Huic Anastasio Nicephorus tribuit annos xxi. sed verius auctor Tabularum, quæ *Theophani* insertæ sunt, ei tribuit an. xxiv. quapropter, cum *Anastasius*, ut mox diximus, Sedem Constantinopolitanam anno in eunte dcccxxx. invaserit, necesse est, eum in vivis esse decessisse anno dccciiii. Anastasio successit *Constantinus* antea Monachus, & Episcopus *Syllei*, ut *Nicephorus*, & *Theophanes* habent. Sedit annos tredecim, & obiit ann. dcccxlvi. post illius obitum *Nicetas* a Sclavis originem ducens Eunuchus suffragio *Constantini Copronymi* Imperatoris consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum dcccxxxiv. in ejus locum *Paulus* Venerabilis lector, natione *Cyprius*, doctrina, & virtute præstans creatus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum dcccxxxiv. quo anno ad thronum Constantinopolitanum sublimatus est *Tharastus*, Vir Sanctissimus, qui professionem fidei suæ misit ad *Hadrianum* hujus nominis I. Pontificem Maximum, & statim sacrarum Imaginum cultus restaurandi zelo accensus appulit animum ad celebrationem Concilii Generalis, cujus sola auctoritate profligari poterat Iconoclastarum Hæresis tot annorum diuturnitate roborata, tot locis lateque diffusa. Sedit *Tharastus* annos viginti duos, ut testatur *Ignatius* Diaconus Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & dein *Nicææ* Metropolitanus in ejus Vita cap. xi. ubi etiam narrat varia miracula ad illius Sepulchrum peracta. Quare, *Tharastus* Ecclesiam Constantinopolitanam rexit usque ad an. dcccvi. quo ad Deum migravit. Sub hoc Patriarcha Constantinopolitano, Impe-*

Imperantibus in Oriente *Irene*, & *Constantino* ejus filio, habita est anno dcccxxxvii. Synodus septima Generalis, quæ dicitur *Nicæna secunda* contra Iconoclastas Hæreticos, qui sacris Imaginibus satagebant. De qua Synodo, sicut & de aliis Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus, quæ in sæculis septimo, & octavo fuerunt in Ecclesia celebrata, late in quarto Colloquio disseremus.

(a) *Theodorum* Constantinopolitanum episcopum Monothelitis favisse nemo negat; sed & nemo etiam, præter *Baronium*, asserit hæresis hujus odio e sede Constantinopolitana fuisse dejectum; quare non desunt viri docti cum *Pagio* opinantes sponte illum ex episcopatu cessisse, nullo, nec Imperatore ipso *Constantino*, cogente. Seccessionis hujus causa fortasse fuerit, quod cum faveret Monothelitis, si veluti Patriarcha Synodo tunc imminenti assidere cogentur, vel damnasse Monothelitas una cum ceteris opus fuisset, vel se periculo vitæ exposuisset. Ut igitur imminetem procellam evaderet, dignitatem abiecit.

COLLOQUIUM III.

De Sectis, & Hæresibus, quæ sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ emerferunt.

D. CUM in isto Colloquio de ortu, progressu, atque interitu Sectarum, & Hæresum, quæ in sæculis septimo, & octavo Ecclesiæ prodierunt, sermonem instituere debeamus, ordo doctrinæ postulat, ut ab his Sectis, & Hæresibus, quæ sæculum septimum infestarunt, initium ducamus; dein, ad illas progrediamur hæreses, quæ octavo Ecclesiæ sæculo eruperunt. Mox itaque, si placet, recense & expone Sectas, & Hæreses, quæ obortæ sunt septimo Ecclesiæ sæculo.

M. Septimo Ecclesiæ sæculo ex inferno prodierunt impia Secta, quam proculdubio *Mahometes* impostor post homines natos maximus, & duæ Hæreses, quarum una dicitur *Paulicianorum*, altera *Monothelitarum*, quæ latissime propagata, & Imperatorum patrocinio fulta, diu multumque afflixit Ecclesiam.

D. Quanam est origo, & doctrina sectæ Mahometanæ.

M. Secta Mahometana incepit anno sexcentesimo vicesimo secundo, Auctore *Mahomete*, seu *Mahumede*, qui hoc anno impiam suam cepit spargere doctrinam; indeque crevit, ac magnopere amplificatum est ipsius Regnum in Oriente; quodque magis deplorandum est, ejus Sectarii, seu Saraceni, ipsas quoque Hispanias anno septingentesimo decimo quarto ingressi sunt, & ibi fuerunt appellati *Mauri* a proximo portu, e quo solverunt, cum in Hispanias venirent, quod Regnum diu occuparunt. & in ea suam tyrannidem exercuerunt. Hierosolymam etiam, ut jam observavimus, iidem Saraceni Mahometis Sectarii expugnarunt, anno sexcentesimo tricesimo septi-

mo, eamque tenuerunt usque ad finem undecimi sæculi, hoc est, usque ad adventum Latinorum in Orientem, a quibus expulsi sunt Saraceni, & Christiana in his plagis resorere coepit Religio. At, Latinis sub finem duodecimi sæculi a *Saladino* Egypti Sultano debellatis, & ab Oriente secedere coactis, iterum hæc pestis, Mahometana dico, totum Orientem longe lateque corripuit, & etiamnum (proh dolor) misere devastat. Enim vero, ut obiter dicam, tamen in Oriente superstitibus adhuc sunt aliqua Christianorum Ecclesiæ, quam misera tamen sit illarum conditio, & quam depravata sit avitæ doctrinæ Confessio, ex eo vel maxime intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum, qui hac illac dissipati Orientem incolunt. Quorum *Primi* sunt Latini, qui Romano Pontifici Christi in terris Vicario, ut par est, obediunt, & Catholicæ Ecclesiæ dogmata amplectuntur. *Secundi*, sunt Græci Schismatici, qui Patriarcham Constantinopolitanum pro suo Capite agnoscunt. *Tertii*, sunt Indi, seu *Ethiopes*, qui parent *Presbytero Joanni*, qui vulgo dicitur *Prete Jean*. *Quarti*, sunt *Jacobitæ*, qui & *Coptitæ*, qui una cum Baptismo circumciduntur, & unam tantum in Christo naturam admittunt. *Quinti*, sunt Nestoriani in Tartaria, & India, qui duas in Christo personas reponunt. *Sexti*, sunt *Maronitæ* in Syria, & Phœnicia, qui sunt Monothelitæ, seu, unam in Christo voluntatem, divinam videlicet, profitentur. *Septimi*, sunt *Armenii*, qui suum habent Præsidem, cui obtemperant, & quem Catholicum appellant. Sunt tamen alii Armenii, qui a Religiosis Ordinis Sancti Dominici ad Fidem Catholicam adducti, subduntur auctoritati Romani Pontificis, & ab Archiepiscopo ex eodem Ordine assumpto hæctenus reguntur. *Octavi*, sunt *Georgiani*, qui *Mediam*, *Persidem*, & *Mare Caspium* habitant, atque Græcorum lingua & ritibus utuntur. *Noni*, sunt *Soriani*, sic dicti a *Sur* Civitate Assyriæ, qui in plerisque sequuntur Græcorum Religionem, & alias appellantur Samaritani. *Decimi*, sunt *Mozarabes* in Arabia, qui in multis consentiunt cum Ecclesia Romana. Ex his tot sectis, in quas in præsentia miserum in modum Christiani in Oriente distracti sunt, facile, inquam, colligitur, quam deplorabilis sit illorum in his locis conditio, quam late dominetur impia secta Mahometana, & quam denique funestam cladem Christianismo intulerit *Mahometes* scelestus impostor, dum novam invenit Religionem, suamque detestabilem publicavit doctrinam, quam congestit in peculiarem librum, quem arabice nuncupavit *Alcoranum*, idest, *Volumen Præceptorum*, cujus compositioni tredecim annos impendisse dicitur, & quem tamen Cælo tanquam sibi delapsum ubique venditavit. In nova sua Religione struenda *Mahometes* consortes habuit Judæum, & Monachum, quem Sanctus *Damascenus* in libro de Hæresibus *Arianum* fuisse scribit, *Nestorianum* alii, *Ricoldus* ex Saracenorum utique scriptis, *Jacobitam* esse affirmat. Ut ut sit, constat Judæum in cu-

in cudendo Alcorano potiores partes habuisse. Nam præter pauca, quæ ex spuris Gnosticorum Evangelii excerpta sunt, totus hic liber Thalmudistarum, & Medrashitarum nugis refertus est. Auctor istius male confarinati libri ait, cæremias legis Mosaicæ, puta Circumcisionem, delectum ciborum, lotiones varias corporis, & alia id genus similia, ad salutem esse necessaria, licitamque esse Polygamiam. Præterea negat, tres esse in Deo Personas, & Christianos non secus ac Gentiles passim Sociatores appellat, ac si Trinitatis Fide Deo consortes attribuant. Christum negat esse Deum, quamvis Sur. 3. & alibi Jesum Christum nuncupet *Verbum Dei*, *Spiritus Dei*, *Prophetarum eximium*, ex Maria Virgine, quam putido anachronismo Aaronis, Moysisque sororem esse asserit, natum; qui miracula a tenera ætate ediderit (illa utique quæ in libro apocrypho de *Infantia Salvatoris* leguntur) quique minime sit passus, sed altero in ejus locum subjecto, illæsus ad Cælos evaserit Sur. 22. Fanum Meechanum, *Caabam* dictum, ad quod Arabes undique quotannis conveniebant, ab exordio rerum fuisse extructum fingit, uni Deo Optimo Maximo consecratum, instauratum ab Abrahamo, & Ismaele post diluvium, atque deinde Idolorum superstitione pollutum. Lapidem illum quadratum, quem uti Numen hæcenus Arabes coluerant, Cælo demissum esse dicitur, lapidem vero alterum, qui in *Caabæ*, seu Templi atrio jacet, ait esse illum lapidem, in quo sunt divinitus impressa vestigia Abrahami, quando ex Agare Ismaelem genuit. Vini potum, porcinæ, & morticinæ carnis esum suis Sectariis interdixit *Mahometes*, totusque libidini deditus eis post hanc vitam pollicetur beatitudinem, quæ consistit in fœdis voluptatibus corporis, quibus affatim potiuntur in Paradiso omnibus deliciis carnalibus affluente. Sunt, qui voluptates istas, quas post hanc vitam promittit Mahometes, ad sensum allegoricum trahunt, at ejusmodi voluptates in nativo, & litterali sensu a suo Pseudo-Propheta intellectas fuisse asserunt Alcorani Commentatores, quos *Maraccius* in annotationibus suis ad Sur. 2. & in prodromis citat. Verbo dicam, hic liber dictus *Alcoranus*, qui sectæ Mahometanæ legem complectitur, totus quantus est, a capite ad calcem scatet nœniis, fabulis, antilogiis, & erroribus: quidquid vero habet rectum, & puriori rationis lumini consonum, id totum Mahometes hausit ex historia veteris, & novi Testamenti, quam tamen multis gerris, ineptissimis Rabbinarum nugis, & Arianorum, Sabelianorum, Manichæorum, aliorumque hujus furfuris Hæreticorum crassis erroribus turpiter fœdavit atque interpolavit. Plura leges apud *Hottingerum* in *Historia Orientali*, ubi de Mahometis ortu, Pseudo-Propheta, Dogmatibus, Hegira, præliis, morte, deque toto Orientalium cultu & Religione fuso calamo tractat.

D. Cum vera Religio ad bene beateque vivendum, & ad cordis puritatem, veritatisque contemplationem ordinetur, facile admodum intelli-

go, veram esse haud posse Religionem Mahometanam, quæ terrenam dumtaxat promittit felicitatem in expletione libidinis & gulæ, atque in obscena voluptate sensuum positam. At me hercle, nullo pacto capere possum, qui fieri potuit, ut lex Mahometana in tam brevi temporis spatio orbis parte maxima dominaretur, & a tot diversis nationibus susciperetur. Hoc enim, ut sapius a te audivi, inter cætera motiva, seu credibilitatis argumenta, quibus Christianæ Religionis contra Ethnicos, & Hebræos adstruitur veritas, non ultimum esse videtur, quod Christiana Religio, mortuo Christo Salvatore nostro & in Cælos recepto, fuerit maxima celeritate & Romæ, & in toto, qua late patet, orbe non sine miraculo suscepta. Quod tamen nemini admiratione dignum, vel miraculose factum videbitur, cum idem in propagatione falsæ Religionis Mahometanæ contigerit.

M. Longum certe latumque intercedit discrimen inter propagationem Christianæ Religionis & Mahometanæ sectæ. Crevit quippe Mahometana secta armorum vi & licentia vitiorum. Nec mirum est, quod innumeri pene homines hanc Mahometis legem amplexi fuerint, quæ nullam habet difficultatem sive in credendis, sive in agendis, & quæ multum indulget sensibus & cupiditati, secundum quam, ut satis experientia notum est, longe major pars hominum vivit, potiusquam secundum rationem. At versa vice, Religio Christiana, ut optime ait Sanctus Augustinus, non armis fuit inducta & per orbem diffusa, sed fide inchoata, spe nutrita, obaritate aucta, miraculis confirmata est in nomine Christi patris ab Apostolis, quibus, utpote hominibus ignobilibus, pauperibus, rudibus, & imperitis sermone, neque natalium splendor, nec divitiæ, nec potestas, nec Philosophia aut eloquentia auctoritatem conciliabant. Id profecto maximi miraculi loco habendum est. Nec minus singulare prodigium est, quod Religio Christiana, quæ credenda proponit Mysteria humanæ impervia rationi, quæque sensibus sanctissimis suis præceptis juge bellum indicit, potuerit tam cito toto orbe disseminari & stabiliri a duodecim Piscatoribus, qui atroces persecutiones, diræque mortis supplicia pro tuenda veritate fidei, quam annuntiabant, invicta patientia sustinuerunt. Cui enim, sodes, si micam, aut scintillam rationis habuerit, credibile unquam videbitur, Apostolos adeo insaniisse, ut probrosam mortem optetere voluerint pro defensione doctrinæ Christi, quam falsam esse sibi conscii fuissent? Credit hoc Judæus Apella. Mors itaque Apostolorum, qui fuerunt satores ac propagatores Christianæ Religionis, miracula ab ipsis frequentissime patrata in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, Oracula Prophetarum, quæ in Christo vero Messia esse completa diserte probarunt, hæc, inquam, & alia bene multa, quæ brevitas ergo silentio prætermitto, Sole clarius ostendunt, Christianam Religionem omnibus veræ Religionis characteribus esse insignitam. Sed his veræ Religionis Notis omnino destituta est Mahometana.

metana secta. Nec enim ullis miraculis fuit confirmata, cum ipsemet *Mahometes* in suo Alcorano nullam se miraculorum patratorum habuisse potestatem ultro fateatur. Nullus unquam Propheta Mahometo, ejusque legi testimonium perhibuit. Et sane, quo pacto Prophetæ potuissent Mahometo & ejus legi perhibere testimonium, cum ex ipsemet Alcorano facile evincatur, Mahometum fuisse hominem flagitiosissimum, cædibus, rapinis, perjuriis, & libidine dumtaxat insigam, ejusque legem non novam exhibere revelationem, sed potius tam veteris, quam novæ revelationis divinæ utriusque fœderis paginis contentæ, corruptelam esse, vel, ut melius dicam, errorum, mendaciorum, & fabularum centonem, uti tibi, si perotium liceat, Alcoranum legenti liquido patebit.

D. Ecurr igitur permisit Deus summe bonus & summe verax, ut ferocis ista Mahometana gens multis felicibus bellorum eventibus, ac victoriis Christianos superaverit, & sancta Palæstina loca, quæ Christus Dominus vita, doctrina, & morte sua consecravit, in suam redegerit potestatem?

M. Quod Mahometani de Christianis aliquando victorias retulerint, quod sanctissima Palæstina loca invaserint, id totum, volente Deo, & plerumque nos ob peccata nostra castigante, ut pater filios, evenisse persuasum habere debes, eumque nihilominus adorare par est, qui, ut dicitur in Scriptura Sacra, *mutat tempora, & ætates, & transfert Regna atque constituit*. Cæterum, felicibus bellorum eventibus atque victoriis non demonstratur Religionis veritas; alioqui vera fuisset Græcorum, Romanorumque, dum Idola colebant, Religio; rerum siquidem tum temporis potiebantur, multisque victoriis toto orbe inclyti erant. Quis etiam nescit, Hebræos, qui Deum unum verum colebant, ab Infidelibus, Deo illis ob peccata irato, sæpe fusos fuisse? Præterquamquod Mahometanos non semel a Christianis cum exigua manu, Deo exercituum pro ipsis pugnante, terra marique cæcos ac profligatos fuisse & legimus in Historiis, & nostris temporibus vidimus, hoc præsertim anno millesimo septingentesimo decimo sexto, quo hæc scribo. Vidimus, inquam, Mahometanos, seu Turcas, qui victoriis elati, jam nullo labore Peloponneso potiti, impudenti fiducia Christianis insultabant, eisque terra ac mari ineluctabilem cladem, in Italia, & in Imperio Romano minabantur, ab exercitu Imperatoris Caroli VI. quamvis numero longe inferiori, terrestri commisso prælio, fuisse fugatos, dissipatos, ac tantum non omnes ad unum internecione deletos. Nec secundam magis fortunam Mahometani mari sunt experti. Etsi enim classem haberent ex omni memoria maximam, sicque instructam annona, commeatu, armis, nauta, milite, machinis & tormentis, ut Christianis ultimum exitum allatura videretur; nihilominus Venetorum, & aliorum Principum Christianorum fœderatorum classe deterriti, & quasi panico terrore percussi, jam inceptam Corcyræ urbis, vulgo *Corfu*, obsidionem

Graveſon Hiſt. Tom. III.

turpiter relinquere, atque maturare fugam coacti sunt. Sic supremo favente Numine, & pro Christianis Cælo pugnante, abierunt in ventos, deserunt in strepitum fumumque tot fœrales, tamque numerosi Mahometanorum exercitus in Christianos immitti, nullusque dubito, quin propediem de toto Imperio Othomano aërum penitus ac conclamatum sit, si Augustissimus Imperator, quem Deus sospitem diu ac incolumem servet, victicia sua arma in illud pari felicitate deinceps inferre non desistat. Sed hæcenus satis de Mahometana secta, quam egregie confutavit *Natalis Alexander* Dissertatione sexta sæculi septimi Historiæ Ecclesiasticæ.

D. Quisnam fuit Auctor Hæresis *Paulicianorum*, quam sæculo Ecclesiæ septimo obortam esse in exordio nostri Colloquii observasti?

M. Refert *Cedrenus* extitisse anno decimo tertio Imperii *Constantis*, hoc est, anno Christi *DLXII*. *Constantinum* quemdam, qui & *Sylvani* nomen usurpabat, *Paulicianorum* sectæ Principem, qui Manichæorum hæresim renovavit. *Constant* tamen *Paulicianorum* Hæresim esse illo *Constantino* antiquiorem; nam Manichæi *Paulicianorum* nomen sibi sumpserunt a *Paulo* quodam *Samosateno*, qui diu ante prædictum *Constantinum* hanc Hæresim promulgaverat. De illis *Paulicianis*, eorumque erroribus hæc habet *Cedrenus*: *Servant Manicheorum Hæresim, duo principia cum illis affirmantes. Unum tantum esse ajunt, quod illos a Romana Ecclesia disjungat. Se enim sentire alium esse Deum Patrem caelestem, qui in hoc mundo nihil habeat potestatis, habeat autem in futuro: alium Deum Mundi, cui in presentem mundum jus sit. Romanos autem profiteri, esse unum Deum, eundemque Patrem Cælestem & universi Factorem. Se Christianos, nos Romanos appellant. Præter hunc errorem de duobus principis, quem Pauliciani Hæretici cum Manichæis communem habebant, alios errores disseminabant, negantes divinam Mariæ Virginis Maternitatem, præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Præterea, omnem Cruci Christi Domini venerationem adimebant, Prophetas, & Sanctos explodebant, mendacium & Religionis simulationem licitam esse affirmabant, sacras litteras suis accommodabant erroribus, & in omne spurcitia genus effusi impotenti suæ libidini, deposito omni pudore, fræna laxabant. Verum, de Paulicianorum erroribus legendi sunt jam citatus *Cedrenus* in *Compendio Historiarum*, ubi illos fuisse prosequitur, & *Euthymius* in *Panoplia* titulo viceſimo, ubi eisdem errores accurate refellit. Hæc Paulicianorum hæresis late per Orientem adhuc nono Ecclesiæ sæculo grassabatur, ut nos docet *Porphrogenneta* in *Vita Michaelis* Imperatoris filii *Theophili*, ubi hæc habet: *Paulicianos per Orientem conatur (Theodora Augusta mater Michaelis Imperatoris) ad veram fidem transferre, sin minus extirpare, ac de medio tollere: que res ingentibus malis Romanum Orbem implevit. Mittit itaque in eam rem Pro-**

C

cerum

cerum quosdam ac Magistratum. Hi alios in Cru-
cem agebant, alios gladio cecidebant, alios profundo
mari mergebant. Sublati ad centum millia ejusce
generis supplicii: publicata substantia, ac fisco il-
lata. Subdit idem Porphyrogeneta, Manichæum
dictum Corbeam cum quinque millibus ejusdem
Religionis ad Meliina Amerem, idest, Præfectum,
profugisse, indeque ad Ameramnum, seu Caly-
pham Saracenorum, profectum, communibus stu-
diis Romanam Ditionem invasisse, Urbes tres
condidisse, & multas clades Romanis intulisse,
quod fufius Baronius Eminentissimus Annalium
Ecclesiæ parens ad annum Christi octingentesi-
mum quadragesimum quintum ex *Curopolate* nar-
rat.

D. Describe nunc, quæso, ortum & progres-
sum Monothelitarum Hæresis, & in primis ex-
pone, in quo situs esset palmaris istorum Hæreti-
corum error?

M. Palmaris Monothelitarum error in eo po-
situs fuit, quod unicum in Christo Domino ope-
rationem, adeoque unicum voluntatem, divinam
videlicet, propugnarent. Quod quidem ut clari-
us intelligas, obiter observare debes, ineunte
septimo Ecclesiæ sæculo omnes tam Orientis,
quam Occidentis Patriarchas, & Episcopos, jux-
ta definitiones Conciliorum Ephesini, & Chal-
cedonensis, quæ contra Nestorium, & Eutyche-
tem celebrata fuerunt, duas in Christo natu-
ras, divinam scilicet, & humanam in unitate
Personæ divinæ admisisse; ex quo fidei dogmate
ab universa Ecclesia recepto, necessario consequi
videbatur, duas itidem in Christo agnoscere de-
bere voluntates & operationes, divinam nimirum
& humanam. Ast, circa Annum DCXXII. insur-
xerunt Hæretici, qui hanc consecutionem nega-
runt, asserentes, naturam humanam in Christo
ita esse unitam Verbo Divino, ut licet mente,
aliisque facultatibus, quæ naturæ humanæ sunt
appendices, prædita esset, ipsa tamen natura hu-
mana in Christo propriam non exerceret ope-
rationem, sed unica in Christo esset Operatio, pro-
fecta quidem a Verbo Divino, ut a principe cau-
sa, ab humanitate vero, ut a causa pure instru-
mentaria. Quamobrem isti Hæretici, qui ex in-
fecta Eutychanorum stirpe, tanquam mali furculi
pullularunt, dicti sunt *Monothelita*, quod, ex-
clusa operatione, & voluntate humana, unicum
in Christo operationem & voluntatem divinam
profiterentur. In hoc errore proram puppinque,
ut ajunt, suæ hæreseos Monothelitas constituisse,
patet ex Coriphæis illius sectæ, videlicet ex Epi-
stola Cyri Alexandrini Monothelitarum Patriar-
chæ ad *Sergium* Patriarcham Constantinopolita-
num Monothelitarum primipilum; ex Epistola
Sergii ad *Honorium I.* Romanum Pontificem, &
denique, ex *Macario* Patriarcha Antiocheno,
Monothelita insigni, qui in sexta Synodo ge-
nerali contra Monothelitas coacta, hæc palam
effutire non erubuit: *Si membratim incidar, in-
quit, & jacter in mare, neque duas volun-
tates, neque duas operationes dico in Domino no-
stro Jesu Christo, uno Sanctæ Trinitatis.* Hunc
Monothelitarum errorem aperte damnant concors

SS. Patrum doctrina, & locupletissima Scripturæ
Sacræ testimonia, in quibus Christus Dominus sic
alloquitur Patrem suum: *Pater, si possibile est,
transseat a me Calix iste: Verumtamen non sicut
ego volo, sed sicut tu vis.* Matth. cap. 26. item
Lucæ cap. 22. *Pater, si possibile est, transseat a me
Calix iste: Verumtamen non mea voluntas, sed tua
fiat.* Et Joannis cap. 6. *Descendi de Cælo, non ut
faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui
misit me, Patris.* His similibus, quæ passim in
sacris litteris occurrunt, referendis testimoniis, con-
sulto supersedeo, quia *Sanctus Maximus* in dispu-
tatione, quam habuit cum *Pyrro* Hæretico Mo-
nothelita, ea accurate collegit, hisque ad consu-
tandum illum Hæreticum apposite usus est. Con-
sulendus est etiam *Natalis Alexander*, qui Mo-
nothelitarum errores perdocte refellit in Disser-
tatione quinta, quæ extat in Panoplia adversus Hæ-
reses septimi Ecclesiæ sæculi.

D. Quo pacto propagata est Monothelitarum
Hæresis, & quinam præcipui fuerunt illius Au-
tores, atque Fautores?

M. Propagationi Monothelitarum Hæresis an-
sam, & occasionem dedit imprudens *Heraclius*
Imperator, qui deceptus est in congressu, quem
anno DCXXII. habuit cum *Paulo Monuculo* hære-
tici *Severi* Discipulo ac Sectatore, qui Monothe-
litarum hæresim se tum primum profiteri restatus
est. Hujus congressus meminit *Sergius* Constanti-
nopolitanus Episcopus Monothelita in Epistola ad
Honorium I. Summum Pontificem, quæ habetur
Actione XIII. sextæ Synodi Generalis. Scribit
etiam *Theophanes*, eundem *Heraclium* Impera-
torem fuisse pariter deceptum in altero congressu,
quem anno DCXXIX. habuit cum *Athanasio* Jaco-
bitarum Patriarcha, Viro vasto, & pernicioso,
qui Monothelitarum errore erat infectus. (*)
Verum, doctissimus noster *Combesius* in Historia
Hæresis Monothelitarum, Disputatione prima
cap. 6. observat, fictitium plane, & fabulosum
esse hunc congressum Imperatoris *Heraclii* cum
Athanasio, & recta fronte pugnare cum iis, quæ
a Scriptoribus narrantur de congressu *Pauli Mo-
nuculi* sectæ *Severianæ* cum Imperatore *Heraclio*,
adducitque nonnulla argumenta, quibus hanc *A-
thanasii* cum *Heraclio* congressionem oppugnat.
Non ausim tamen ipse omnino cum *Combesio*
congressum illum Imperatoris *Heraclii* cum *Atha-
nasio* tanquam confictum penitus explodere,
tum quia *Theophanes* in sua Historia illius con-
gressus *Heraclii* cum *Athanasio* apertam mentio-
nem facit; tum quia etiam noster eruditissimus
Jacobus Goarus in suis Notis ad *Theophanem* o-
stendit leviora esse *Combesii* tela, quam ut *Histo-
riæ* a *Theophane* scriptæ veritas lædatur, idemque
cum *Jacobo Goaro* sentit doctissimus noster *Mi-
chaël Lequien* in suis Annotationibus in Opera *S.*
Damasceni. Quapropter hanc secundam congres-
sionem Imperatoris *Heraclii* cum *Athanasio* Jaco-
bitarum Patriarcha, utpote necdum satis com-
pertam, in medio relinquo. Hoc unum certissime
apud omnes constat, *Heraclium* Imperatorem jam
ab anno sexcentesimo vicesimo secundo a *Paulo*
Monuculo *Severi* Hæretici discipulo deceptum,

con-

consuluisse *Sergium* Constantinopolitanum Epi-
scopum, & *Cyrum* Phasidis Episcopum, sed
postea ad Patriarchicum thronum Antiochenum
translatum, an scilicet in Christo duplex esset
voluntas? a quibus istud habuit responsum: unam
tantum in Christo dicendam esse voluntatem,
& operationem. Neque admodum *Sergio* Mono-
thelitarum sectæ patrono ac parenti laborandum
fuit, ut Imperatori *Heraclio* suum virus afflaret,
tum quia *Sergio* tanta cum *Heraclio* intercedebat
necessitudo, ut adversus *Perlas* profecturus hic
Imperator, suos filios ejus curæ ac fidei commi-
serit; tum quia etiam, Oriente tum temporis
varias in sectas misere distracto, Imperator *He-
raclius* facile sibi persuasit, fore, ut hac unius
in Christo voluntatis, & operationis assertionem,
cujus par non animadvertat periculum, unio-
nem Acephalorum, aliorumque Orientis Hæreti-
corum cum Catholicis facile procurare posset. Sic
imprudens ille Imperator hæreticum dog-
ma de una in Christo voluntate, & operatione,
tanquam novum pro antidoto venenum a *Sergio*
accepit, atque inductus specioso illo hæreticorum
cum Catholicis unionis titulo, magnum in Ec-
clesia excitavit incendium, quod postea difficile
extingui potuit. Interea, *Cyrus* Patriarcha Ale-
xandrinus, ut jam in superiori Colloquio obser-
vavimus, coegit anno DCXXXIII. Conciliabulum,
in quo novem edidit Capitula, in quorum septimo
purum, putumque Monothelismum de una
in Christo voluntate, & operatione stabilebat.
Hæc novem Cyri Capitula in hac Pseudo-Synodo
Alexandrina fabricata, obviis ulnis insidit,
& suo calculo confestim approbavit *Sergius* Con-
stantinopolitanus, sed ea strenue rejecit *Sophronius*
Monachus, intrepidus fidei Catholicæ defensor,
qui, cum de una, vel duplici voluntate, & ope-
ratione in Christo convenire haud posset cum *Cy-
ro*, ad *Sergium* Constantinopolitanum perrexit
apud eum coram acturus causam, & ad sollici-
tandam eadem opera Capituli septimi in Con-
ciliabulo Alexandrino conditi abrogationem, in
quo una tantum Dei-virilis voluntas decerne-
batur. Invenit *Sophronius* *Sergium* in eodem
erroris luto hærentem cum *Cyro*, quare, re in-
fecta, Constantinopoli profectus, in Palæstinam
reversus est, ubi post mortem *Modesti* Hierosoly-
morum Patriarchæ, in ejus locum ipsemet sus-
fectus est, Conciliumque habuit Antistitum Pa-
læstinæ, in quo composuit Epistolam illam En-
cyclicam de more ad Patriarchas mittendam, &
recitatam in sexta Synodo Actione undecima, in
qua disertissimis Sanctorum Patrum auctoritati-
bus abunde evincit, dari in Christo duplicem vo-
luntatem, & operationem, Actaque sua Synodica
Honorio hujus nominis primo Summo Pontifici,
& *Sergio* Constantinopolitano transmisit, ut legi-
tur in libello Synodico. Hujus *Sophronii* Synodi,
in qua Monothelitarum Hæresis confixa est,
meminit *Theophanes* ad annum vicesimum Impe-
ratoris *Heraclii*, ubi, quæ ad originem, & pro-
gressum Monothelismi spectant, uno tenore re-
fert. Accepta Synodica *Sophronii* Epistola, *Ser-*

gius Constantinopolitanus Episcopus scripsit ad
Honorium Romanum Pontificem litteras decimæ
Actioni Synodi sextæ insertas, quibus *Sophronium*
atris coloribus depingit, & ad consulendum Ec-
clesiasticæ paci proponit, tanquam omnino neces-
sariam silentii œconomiam, qua videlicet neque
una, neque gemina in Christo operatio, vel vo-
luntas deinceps diceretur, ob emergens, ut in-
quiebat, ex intempestivo illarum vocum usu scan-
dalum, sed unus idemque filius Unigenitus verus
Deus Dominus noster *Jesus Christus* dicatur, ope-
ratus tam divinam, quam humanam operatio-
nem. Hanc silentii dispensationem, quam frustra
conatus erat *Sergius* persuadere *Sophronio*, facile
Honorio I. Romano Pontifici persuasit. *Honorius*
quippe duas ad *Sergium* scripsit Epistolas, in qui-
bus non tantum eum laudat, quod novitatem vo-
cabuli unius, vel gemine in Christo operationis,
quod possit simplicibus scandalum generare, pruden-
ter sustulerit, sed etiam fatetur unam voluntatem
Domini Nostri *Jesu Christi*, quia, inquit, a di-
vinitate assumpta est nostra natura, non culpa; il-
la profecto quæ ante peccatum creata est, non quæ
post prævaricationem vitata. Ex eo loquendi mo-
do, quem suis ad *Sergium* Epistolis usurpavit
Honorius I. Romanus Pontifex, Hæretici, & qui-
dam etiam Catholici Scriptores existimarunt, hunc
Summum Pontificem in hæresim Monothelitarum
impegisse, & unam tantum in Christo volunta-
tem & operationem admisisse. Verum, non est
dubium, quin oppido fallantur. *Honorius* siqui-
dem Papa dum unam voluntatem in Christo asse-
rit, id dumtaxat intellexit de Christo secundum
naturam humanam considerato, cujus duas esse
voluntates contrarias, mentis nimirum, & carnis,
Orthodoxo sensu jure merito negavit, quia illa
pugna voluntatum in homine peccati originalis
fructus est, cujus omnino expers fuit *Christus Do-
minus*, a quo, ut observat *Summus* ille Ponti-
fex, assumpta est nostra natura, non culpa. Sicger-
manam *Honorii* mentem explicant, & a Mono-
thelitarum Hæresi vindicant *Joannes IV.* Sum-
mus Pontifex in *Apologia pro Honorio ad Constanti-
num Imperatorem Heraclii filium*, *S.* *Maximus*
in *Dialogo cum Pyrrho*, *Anastasius* Bibliotheca-
rius præstatione in sua ad *Joannem Diaconum Col-
lectanea*. Unde, quemadmodum *S.* *Cyrillus* Ale-
xandrinus disputando contra *Nestorium*, hanc pro-
positionem: *Una est natura Verbi incarnata*, asserit
in sensu Catholico, & a sensu Eutychanorum,
qui eandem loquendi formam postea usurparunt,
penitus alieno; ita *Honorius* mente Catholica
dixit, & in sensu Monothelitarum errori prorsus
opposito, unam esse in Christo voluntatem. Duas
siquidem voluntates *Christi* divinam scilicet, &
humanam absolute non negavit, sed tantummodo
duas voluntates in humana *Christi* natura pu-
gnantes, sibi que contrarias exclusit, propter rati-
onem superius allatam. Cæterum, lubens fa-
teor, *Honorium* graviter peccasse, dum de una,
vel gemina in Christo voluntate, & operatione
silentii inexit œconomiam. Quod, ut facilius
intelligas, distinguendum est duplex œconomia
genus.

C 2